

tera Sacramenta, quæ eadem dona conferunt, iterare non dubitavit. Antiquissima igitur hæc Ecclesiæ Traditio, cujus originem nescimus, & ab Apostolis derivatam omnino tenere debemus, non ob aliam profecto rationem hæc Sacramenta nunquam iterari posse docuit, nisi quia præter sanctificantem gratiam, & Spiritus Sancti charismata aliquid aliud hæc Sacramenta conferunt, quod nullo unquam scelere possit amitti. Hoc autem quid? Character utique Sacramentalis, quem signaculi nomine appellant Patres, ut vidimus §. IV. Jure igitur ac merito *Eugenius III. in Decreto Unionis: Inter hæc Sacramenta, inquit, tria sunt, quæ Characterem, idest spirituale signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: Baptismus, Confirmatio, & Ordo.*

§. VI. Tandem, ut paucis multa dicamus. Characterem Sacramentalem N. L. Sacramenta conferre docent Patres, affirmat Ecclesia, negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius; quibus standum? quibus credendum? dicemus, Ecclesiam, quæ Characteris existentiam tamquam fidei dogma credit, a vera fide defecisse? at I. Male Ecclesiæ suæ consulisset Christus, si illam in fide infallibilem non fecisset. II. Si a vera fide defecit, jam a temporibus Apostolorum defecit, cum ab Apostolorum temporibus dogma Characteris Sacramentalis Ecclesia crediderit ex §. V. Sed hæc sunt absurda, quæ cuique cordato viro stomachum movent.

PROPOSITIO SECUNDA.

Character Sacramentalis nec antiquis Patribus fuit incognitus, ut opinatur Marcus Antonius de Dominis, nec fuit Innocentii III. commentum, ut calumniatur Kemnitius.

§. VII. Probatur prima pars. Marcus Antonius de Dominis existimat, ex veteri controversia circa iterationem Baptismi, inferri optime posse, incognitum fuisse tunc temporis Ecclesiæ Patribus Sacramentalem Characterem; sed eadem controversia Characteris existentiam clare demonstrat; Patribus ergo Character Sacramentalis non fuit incognitus. Et primo quidem *Augustinum* non legerat *Archiepiscopus*